

rogatio mea, intentio mea, et responsio eorum, species eorum. Et direxi me ad me, et dixi mihi: tu quis es? Et respondi: homo. Et ecce corpus et anima in me mihi praesto sunt, unum exterius, et alterum interius. Quid horum est, unde quaerere debui Deum meum, quem jam quaesiveram per corpus a terra usque ad coelum, quousque potui mittere nuntios, radios oculorum meorum? Sed melius, quod interius. Ei quippe renuntiabant omnes nuntii corporales praesidenti et iudicanti de singulis responsionibus coeli et terrae, et omnium, quae in eis sunt, dicentium: non sumus Deus, sed ipse fecit nos. Homo interior cognovit haec per exterioris ministerium, ego interior cognovi haec, ego, ego animus per sensus corporis mei. Interrogavi mundi molem de Deo meo, et respondit mihi: non ego sum, sed ipse me fecit. Nonne omnibus, quibus integer sensus est, apparet haec species? Cur non omnibus eadem loquitur? Animalia pusilla et magna vident eam, sed interrogare nequeunt; non enim praeposita est in eis nunciantibus sensibus iudex ratio. Homines autem possunt interrogare, ut invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciantur; sed amore subduntur eis, et subditi iudicare non possunt. Nec respondent ista interrogantibus, nisi iudicantibus, nec vocem suam mutant, id est, speciem suam, si alius tantum videat, alius autem videns interroget, ut aliter illi appareat, aliter huic; sed eodem modo utrique apparens, illi muta est, huic loquitur; imo vero omnibus loquitur, sed illi intelligunt, qui ejus vocem acceptam foris intus cum veritate conferunt. Veritas enim dicit mihi: non est Deus tuus coelum et terra, neque omne corpus. Hoc dicit eorum natura videnti: moles est, moles minor est in parte, quam in toto. Jam tu melior es, tibi dico, anima, quoniam tu vegetas molem corporis tui, praebens ei vitam, quod nullum corpus praestat corpori. Deus autem tuus etiam tibi vitae vita est.